

Wf
665



h. b.

I
I



IN NATALEM XXXII.

ILLUSTRISSIMI AC CELSISSIMI
Principis ac Domini,

Dn. JOHANNIS
PHILIPPI,

DVCIS SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ
AC MONTIUM, LANDGRAVII THURINGIÆ,
Marchionis Misniæ, Comitis de Marca & Ravenspurg,
Domini in Ravenstein, &c.



ALTENBURGI,

IN OFFICINA ILLUSTRIS,

Anno, quo ingemiscendum:

Da PACEM bone loVa! Venit PAX gratior a Vrô.



Durima dum turbant Patriam discrimina nostram,
Omnibus ac demens sevit Discordia terris;
JANE PHILIPPE tuos, Dux illustrissime, tractus
Haec tenus alma Quies, Pax & Concordia cingunt.

Hinc non immeritò trigesimus atq; secundus
Dum Tibi natalis redijt, pia turba Clientum
Ex animo mecum gratatur, sicq; precatur:

CHRISTE Patri Patriæ JANO-largire PHILIPPO,
Ut sanam foveat sanò sub corpore mentem,
Natalemq; suum cum Coniuge, Proleq; sanâ
Longævos celebrare queat feliciter annos!

Interea nos PAX, nos & CONCORDIA servet
Incolumes, eius subiecta nomina plebis
Qui gerimus, posthac ut dogmata sancta LUTHERI,
Immoto DOMINI nitentia fundamento,
Nobis incorrupta fluant, mancantq; per ævum!

ab

Ægidio Hunnio D.
Superint. Generali.

ODA.

Dissipa tandem DEVS, ah potenter
Dissipa quæso tumidas cohortes,
Quæ dies noctesq; cient cruenta
Prælia belli.

A 2

Nulla

Nulla virtus est pietasve Marti,
Nullus & cultus; bonitas nec ulla,
Nulla lex, commercia nulla, nulla
Jura vigescunt.

Terra dep'angit, polus ingemiscit,
Cuncta suspirant, rabidi manipuli
Arva devastant, viduant & urbes,
Triste flet aër.

Bella, fraus, blasphemia, vis, tyrannis,
Crimen, armorum sonitus, rapinæ,
Stupra, sæva incendia, proh dolor sunt
fercula nostra.

Ah pater dignas patimur catastas,
Ob graves nævos scelerumque sordes,
Quæis laceffitam tua commovemus
semper ad iram

Vulta; nosti nos miseros; fatemur,
Deprecamur, tu bonus atq; clemens
Supplici concede preci vocantum
pondera culpæ.

CHRISTE da pacem geminam, tuere:
Pelle crudeles pietatis hostes,
Victor & vindex bona fer-trophæa
militiai.

Da sacros mystas, proceres, quietem;
Principes nostros rege, duc, gubernâ:
Duret aternandus in omne seclum

Sermo Jehovæ!

Ludovicus Schalling,

Ecclesiastes aul. &

Consistorij assessor.

Etsi



*Et si Mars toto trusculentas Orbe ruinas
Excitet involvens omnia summa
malis:*

*Etsi jam prater suspiria, prater anhela
Vota, precesq³, parum sit super, aut nihilum:
Non tamen aut animum fas despondere sedendo,
Aut lamentando fata vocare decet.
Est aliquod, quod curat adhuc Mortalia, Nu-
men:*

*Est DEVS, immenso qui regit ista modo.
Cumq³ regit, cunctasq³ suis res flectit habenis
Et virtute sua versat, agiq³ polos:
Tum mentes hominum Medijs attemperat aquis,
Et qua non vellent, cogit abire via.
Vidi, qui montes se tollere posse putaret,
Inferiusq³ suis viribus esse nihil:
Vidi, qui flatu disflare tot agmina vellet,
Et tot, nescio quot, sternere posse Viros.
At DEVS occursans oculi disjecit in ictu,
Inq³ leves auras fecit abire minas.
Quod si bellorum satis est, tum scilicet idem
Vertit in authores bella necesq³ suos.*

Sic

Etsi

Sic Pater in Natos virgas dstringit acutas,
Et servis scuticas expedit ultor herus.

At virgas, scuticasq; bonus mox injicit igni,
Quando videt Natos vivere lege Patris.

JANE PHILIPPE DEVS, qui nos servavit in
isthac

Tempora; scit humeri ferre quid hi valeant.
Semper hoc, aut illud mediâ sub mole levamen
Suggerit, & nostram firmat, alitq; fidem,
Te nobis saluum XXX. ille II.

Annus ut exhibeat, datq; facitq; DEVS.
Te salvo, PACEM DEVS his quoq; suggerit oris:
Vivat! Vivat honos JANE PHILIPPE tuis!

Caspar Facius.

Auxilium DOMINVS nostrum nisi forte fuisset,
(Nunc dicat plaudens Isracl ore pio.)
Auxilium DOMINVS nostrum nisi forte fuisset,
Insidias hostes cum struerent varias,
Otture curvato nos vivos sæpè vorassent,
Flagrabant etenim corda furore gravi:
Nobis, ceu stagnans effuso fulmine Nilus,
Unda tulisset ibi gurgite hiante necem;
Fluctus transissent maris immensi super ipsam
Hanc animam nostram motibus innumeris.

Gloria,

Gloria, laus, honor & benedictio sola JEHOVÆ,
Tradere qui rabidis noluit, euge, suos:
Cassibus è fractis Anima aufugit aucupis, & nos,
Regibus ut volucris pervolat, aufugimus:
Auxilium solo DOMINI fit nomine nostrum,
Qui Coelum, Terram, condidit Omnipotens,
In DOMINI fiat jam nomine, JANE PHILIPPE,
DVX, Pater & Patriæ, lux tua clara precor.
SAXONIAE pax, tuta fides, nunc Relligionis
Firma salus vigeat, stet Regionis honos;
Bella cruenta cadant procul hinc, astante JEHOVâ,
RVTAQ; permaneat florida SAXONIAE!

Laurentius Mœnius D.
Illustriß: Duc. Sax. Medicus.

IANO-PHILIPPO mense Januariô
Genethlion Pauli refert Conversio,
Letamur hinc, eiusque Celsitudini
Congratulamur universi Subditi;
Precamur & lux illa crebrioribus
In hanc agat reciprocationibus,
Secum ferendo Sanitatis aurea
Concordiæ, grataque Pacis munera?
Votumne maius hóc canam Decastichô?
Vix tale suppetit: proinde desino.

Sed

*Sed & illud devotè appono
Eteologicum:*

IESV faVe DoMVI SaXonlCæ!

* * *

HERR IesV / Innlg beneDen

Das HAUS zV SaChssen / VND erfrey!

*M. Josephus Clauderus, P. C.,
& Schola Altenburg. Rector.*



ULB Halle

3

004 973 682



TA 70L

10-17





IN NATALEM
ILLUSTRISSIMI AC
Principis ac Ducis

Dn. JOHANNES
PHILIPPUS

DUCIS SAXONIÆ,
AC MONTIUM, LANDGRAVI
Marchionis Misniæ, Comitis de
Domini in Rava



ALTENBURG
IN OFFICINA
Anno, quo ingem
Da PACEM bone lo Va' Ve

